

VVITEBERGENSIS.

SECUNDA LEX.

DEinde quisquis in hac Academia commorari aliquantisper decreuit, accedat ad Rectorem Academiae, & nomen suum inter nomina aliorum auditorum nostrorum referri petat, & promittat se legibus nostris obtemperaturum esse, quia nec honestum est, nec tutum Reipublicae, vltos homines vagari in ciuitatibus sine certis magistratibus.

Rektor autem in editione nominis, si talis est aetas adolescentis, vt sit ei opus familiari praecceptore, iubebit eum commendari alicui ex ijs, qui priuatim docent, qui & mores eius paterno more gubernet, & in docendo prudenter & fideliter initia artium & doctrinae Christianae ita tradat, vt aetas illius aut ingenium postulabit.

TERTIA LEX.

ALiqui seu ignaui, seu feri & contemnentes doctrinam, etiam postquam ediderunt nomina apud Rectorem, tamen vagantur sine studio literarum, nec audiunt vllas praelectiones priuatas aut publicas, nec discunt vllam honestam artem. Tales si deprehensi fuerint, indicandi sunt Magistratui oppidi, vt sciat eos hospites esse alienos ab ordine Scholastico, nec fruuntur priuilegijs Academiae, aut si infirmitas aetatis, aut contumacia alia consilia postulabit, ex Academia & oppido discedere cogentur.

QUARTA.

ET priuatim & publice prima aetas diligenter discat grammaticen latinam, dialecticem, elementa Rhetorices,

A iij

torices,